

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.


QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS; manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ menſis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXV.

M. FELICE VICQ D'AZYR, Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, S. Comitis Atrebatum Medico, Doctore Medico, Præſide.

An ſimilis vegetantium & animantium generandi modus?

I.



SI quis ſedulò meditetur quomodò quædam ſcientiæ ad illud perfectionis, quâ nùnc pollent, pervenerint faſtigium, is clarè perſpiciet plurimas, variarum ope comparationum, eluceſcere nùnc veritates, quæ ſine iis obſcurâ ſub nube latentes adhucdùm remanerent. Tenuitas partium in corpore naturali, intricatave earum compages dubium ſæpè ac ſuſpenſum detinet phyſicum, qui, ſi explicandis functionibus occultis incubuerit, vanis deluditur ſyſthematibus. Minùs tamen à veri tramite aberrat, dùm anologiâ duce cognitam unius corporis actionem & ſtructuram alterius organis & proprietatibus cognoſcendis impendit. Diverſas enim animantium ſpecies ſeu ſeorsìm exploret, ſeu collectìm complectatur, certum poterit ex plurium collatione diſcriminis aut ſimilitudinis gradum agnoſcere; nec etiam obſervantem eludet mirus animalium cum plantis conſenſus. Ex quo autopſiæ æmula Botanice plantarum evolvit fabricam, eadem ferè in animantium & vegetantium organis

dispositio, eædem partes innotuêre. Utraque enim solidis constant & fluidis reciproco in se invicem agentibus motu. Undè variæ exurgunt functiones, quarum liberum & constans exercitium sanitatem constituit, læsio morbum infert vel mortem ominatur. Nec animal solum è felici sanitatis statu deturbari solet. Eadem plantam sors manet. Constituto temporis spatio vivunt animalia; sui sunt etiam plantarum perennitati limites. Quodlibet animal suæ invigilat conservationi. Vegetantia pariter radicibus in terram demissis, idoneos, remotis noxiis, succos exsugunt. Sic supremis omnia legibus ordinantur. Nec tantùm incredibilem naturæ in variandis formis fœcunditatem, sed eximiam quoque ejus in componendis motuum legibus simplicitatem stupentes demiramur. Ex omnibus, quas exercent functionibus vegetantia & animantia, nulla magis indagatoris acuit animum, quàm illa, quâ suæ vacant reproductioni. Hinc animal voluptatis allectum illecebris; illinc planta quodam incita impulsu votum naturæ adimplere gestit. Similis est in utroque concipiendi, similis gestandi, similis pariendi modus: quæ si rectè comprobentur, satisfactum erit quæsito.

II.

CUM mille distincta floribus prata rident, miratur quisque naturam, quæ, dùm innumeras humi profundit opes, gratum præbet oculis spectaculum. Inquirens ulteriora Physicus plantas florentes suum attigisse incrementum judicat & omnes earum succos in fœtuum formationem & nutritionem esse convertendos. Pubertatis plantarum signum est floratio, id est, explicatio sexûum, qui duplici sæpiùs stipantur involucro, calice nempè & corollâ. Hinc pistillum prodit, fœminea pars, ex germine, stilo & stigmate constans; illinc stamina ex filamentis & antheris masculo polline fœtis composita. Ut mutuos ruunt in amplexus animantia, sic stamina pistillis consociari amant. Fœcundans pollen è puriori plantarum succo secretum, vix in alkoole, minimè in aquâ solubile, resinæ instar inflammabile, ex dehiscente antherâ prosilit in pistillum, favente matutino sole, & seminalem emittit spiritum ad ovula in germine latitantia deferendum. Hæc ad conceptum vegetalem requiritur spiritûs immissio, quâ deficiente germen abortitur. Difficilior indè fœcundatio plantarum, quibus stamina à pistillis in distincto flore, interdùm etiam in diverso individuo separantur, nisi ventus aut insecta arsve humana egentibus auxiliarentur. Sic in Egypto Palma, ficus in Archipelago fœcundatur, hæc polline ab insectis advecto, illa polline eodem in plateis empto & fœmineis floribus insperso. Sic anteà sterilis, admoto masculo, fœmina mox fructificat. Seu pollen efformet ova, seu jam formata excitet, post fœcundationem evolvuntur affluentibus in receptaculum seminiferum succis, quibus defraudatæ tùnc cæteræ floris partes marcescunt, pereunt, labuntur. Intereà pellucidus, albumineus, igne coagulabilis in ovulo colligitur humor, futura embrionis materies, ex quo sensìm concrescente formatur semen, verum plantæ corculum, tectum involucris & receptaculo funiculi umbilicalis ope annexum. Semina alibi nuda sunt, alibi inclusa pericarpio, cujus forma & structura in diversis plantis diversa est. Hæc capsulam, illa legumen producit. Altera baccam profert, ab alterâ

pendet pomum. Quid in conceptu, quid in geſtatione accidat ; quo tempore, quâ lege matureſcat ſemen, nemo definire poteſt. Deſunt eâ de re ſatis certa experimenta, quæ puro phyſicam lumine recreent. Præſcripti ſingulis ſpeciebus à floratione ad maturitatem aſſignantur limites, ita ut citiùs florens planta citiùs etiam matureſcat. Quædam vere aut æſtate, quædam bis in annum, aut alternis tantùm annis florent. Undè fructus vario prodeunt tempore. Corculi in ſemine latentis partes ſunt radicula, plumula & lobi ſeu cotyledones, qui communi evolvuntur germinatione. Radicula inferiùs deprimitur ; plumula aſſurgit in caulem abiens. Lobi plumulæ comites ſuccos ipſi parant idoneos & eâ firmiore factâ decidunt inutiles. Verus eſt maturitatis gradus hæc ad germinationem aptitudo. Tùm ſemina ſeparantur vel ſola vel unâ cùm pericarpio. Sæpiùs enim idem eſt pericarpii cum plantâ ac ſeminis cum pericarpio nexus. Injecti in caulem liquores colorati ad certam evehuntur altitudinem, ſapidi & odoriferi penetrant altiùs ; numquàm autem fructuum pedunculos prætergrediuntur. Quod quidem ab interruptâ vaſorum continuitate & interjectâ ſubſtantiâ mediâ oritur. Undè ſeminum emiſſio & pericarpii prolapſus. Eadem pariter in foliis obſervantur, quæ citiùs tardiùſve cadunt pro citiori tardiorive gemmarum explicatione. Hinc tilia citò frondifera primis autumni pruinis verticis amittit honorem, dùm quercus, quæ tardè frondeſcit non niſi ſæviente hyeme, comâ denudatur. Sic conſtanti lege diverſas abſolvit planta periodos. A ſtaminum igitur polline piſtilla fœcundantur, germina explicantur. Semina exurgunt pericarpiis involuta ſuis, quæ ſtatuto tempore creſcunt, interni caloris vi matureſcunt, labunturque demùm novam datura progeniem.

I I I.

QUOD metaphyſicorum eſt, non tractandum phyſicis. Hominem igitur ratione præditum, cæteris animantibus imperantem non hìc contemplamur, ſed corpus animale plurimis in conceptu, in evolutione, in ipſo ortu vicibus obnoxium cum vegetanti conferre juvat. Utrumque ſexuum conjunctione ducens primordia intùs formatur & creſcit, ſtatutoque à conceptu tempore, mechaniſmo peculiari ad auras erumpit. Sexualia animalium organa ſub incrementi finem ſimiliter explicanda in diverſis ſæpiùs individuis ſeparantur, quorum concurſui favet motus liber & voluntas animantis, dùm voluntatis defectum ſupplet in vegetanti organorum vicinia. Ad perfectam fæcundationem certa requiritur in utroque ſuccorum copia ; quæ ſi deficiat, aut nimis abundet, nullus indè conceptus, nulla aut citò fugax floratio. Non concipiunt enim puberes fæminæ, quibus ſanguis abundantior eſt aut nimio viget orgaſmo. In arbore pariter ſuccis turgidiore florum & fructuum rudimenta deſtruuntur. Perſtant contrà, ſi diverticulum excedenti ſucco paraveris luxuriantes non retundendo ramos, aut affluenti moram intuleris circumcidendo radices. Sic in plethoricis mulieribus poſt ſanguinis miſſionem aut effluxos menſes, in ſalacibus poſt compreſſum temporis beneficio æſtum uterinum, conceptus facilior. Menſium autem fluxus in prægnante compeſcitur ut ex ſuperfluo ſanguine humor, undè nutriatur fœtus, nullo matris diſpendio depromatur. Non datur in animantibus pleriſque nec in plantis effluxus ille periodicus, collecti humoris ſignum ;

ſed copioſior florationis tempore ſuccus diverſas primò floris alit partes, dein poſt fœcundationem iiſdem deciduis nutriendo germini adhibetur. Denſâ velantur nube conceptûs animalis phœnomena, ſeminis maſculini natura & actio. Illud quidem veſiculis ſcatet, quas alii vermiculos, alii corpora elaſtica, quidam moleculas organicas nuncupavêre. Quid autem de ſingulis autorum opinionibus ſentiendum? Nùm inter vermiculos unus cæteris felicior excluſis in ovulum ſubreptans proſperè ſuccedat? An admittenda vis attractionis, quæ ſuam in fœtum actionem exerens partium ejus producat aſſimilationem & cohærentiam? An in prolifico humore maris & etiàm fœminæ exiſtant moleculæ organicæ, abſque organis ſeorsim viventes, formandis corporibus organiſatis idoneæ, quæ unitæ in conceptu primigeniam reproducant ſpeciem? Minimè. Hæc fœcundæ deliria imaginationis conceptûs animalis arcanum non pandunt. Non meliùs patet quâ virtute, quo medio piſtillum à ſtaminibus fœcundatur. In re autem tam arduâ, ei ſoli, quod rationi & experimentis conſonat, credendum eſt & obſcuræ rerum cauſæ à cognitis effectibus judicandæ. Staminum pollen illabens piſtillo ſeminalem emittit auram, quâ tenellus evolvitur fructus. Avolans pariter in uterum è maſculino ſemine ſpiritus ad ovaria uſque per tubas impellitur, ut uni, aut pluribus ovulis fœcundationis vim imprimat. Hinc ovulum peculiari incluſum calice ovariis continuo, nùnc diductis membranis increſcit & brevì è calice expreſſum ſuperſtite tritam ab aurâ ſeminali per tubas viam ſubit, in uterum delabitur; cui paucis diebus elapſis emiſſorum flocculorum ope annectitur. Indè rudimentum placentæ quâ lympha materna fœtui tranſmittitur. Idem ferè in oviparis mechaniſmus eſt. Iidem in ovariis calices continui; ſed ubì è calice elapſum eſt ovulum, nulli adhæret parti, nullam emittit placentam. Cùm enim ad debitum volumen fuit protractum, foràs propellitur & externæ incubationis beneficio fœtus evolvitur. Conſimilis eſt in plantis partium diſpoſitio. Non ovariis inſtruuntur, ſed receptaculis ſemina ſuſtinentibus. In viviparis ovaria extrà uterum collocantur; receptacula verò in plantis intrà fructum continentur; undè nec tubis indigent plantæ, nec ovorum tranſlatione. Undè etiàm cùm duplex ſucceſſivè nexus ovum primò ovario, dein utero alligat, unicus adeſt in germine vegetali non niſi maturo ſemine ſolvendus. Calix ovario continuus reſpondet placentæ vegetali, quæ receptaculo eſt continua. Placenta autem animalis fœtui, non matri propria, eadem fortè habebitur ac radix, ſeminis germinantis productio, quæ in terrâ expanditur ut ſuccos plantulæ idoneos exſugat. Non eliminatur fœtus viviparorum niſi maturus. Maturum pariter è pericarpio ſemen educitur. At maturitas ſeminis diverſa eſt à maturitate fœtûs. Hujus enim organa jàm ſunt evoluta, illius autem ſolum exiſtit corculum, quod germinatione indiget ad perfectam partium evolutionem, ut egent incubatione oviparorum ova. Ex his patet vegetantium ſemina non viviparis, nec oviparis omninò eſſe ſimilia, ſed cum alterutro poſſe conferri. In viviparis incubatio interna eſt & non longè ab ovariis, in oviparis externa & longè ab ovariis, in plantis autem in ipſomet ovario. De cæteris geſtationis aut incubationis phænomenis quid ultrà dicendum? Prioribus organa temporibus evolvuntur, poſterioribus increſcunt, donec debitum obtineant perfectionis gradum. His inſtructus abſolutâ geſtatione fœtus in lucem editur. Quemadmodùm au-

tem ſua ſunt vegetanti cuilibet fixa tempora à floratione ad ſeminum maturitatem; ſic conſtantibus animantium prægnatio definitur terminis. Communes ergò his & illis imponuntur leges in exercitio functionum, quæ ad novæ prolis geneſim ad ipſius etiàm & incrementum ſpectant; nec minor fortè in ſubſequentibus aderit inter utrumque ſimilitudo.

I V.

PARTUM tacitè parat natura. Geſtationis enim fine ad uteri ambitum refluunt ſucci nutriendæ proli jàm inutiles, emollitis cartilaginibus oſſa pelvis diſtrahuntur faciliùs, ampliatur uteri collum, diſtenditur vagina, fœtus carcere conſtrictus, exitum moliens, in pelvim delabitur prono capite, diſcerpit involucra, viam fluentibus aquis irroratam & expeditiorem ingreditur, ſuperans obices à renitente uteri oſtiolo & opportuno demùm tempore prodit in lucem, juvante nixu matris, favente naturâ & ſolutis placentæ nexibus. Hæc in viviparis. Eadem ferè ſors eſt oviparorum, in hoc tamen diſſimilium, quòd duplicem quaſi partum experiantur. Ovum emittitur membranis & putamine tectum, refertum albumine & vitello; primo huic partui alter ſuccedit, dùm peractâ incubatione, putamine fracto, ſciſſis involucris, exhauſto albumine maturus ex ovo fœtus educitur; huic & illi conceduntur limites, varii in variis oviparorum ſpeciebus.

Compar plantarum fortuna, non tamèn omni ex parte ſimilis. Semen pericarpio incluſum ad debitam protrahitur molem, priùſquàm matureſcere incipiat; tùnc incubationis internæ ope corculum ſeminis idoneo ſucco enutritum ſensìm & clàm creſcit, adaugetur, perficitur; datâ proportione ſubſtrahitur mucilago in corculi ſubſtantiam immutata; dein maturum ex dehiſcente pericarpio ſemen exilit & hæc prima partûs ſpecies priori oviparorum partui conveniret abſolutè, ſi maturum pariter ex ovario ovum emitteretur. Secundam in plantis partûs ſpeciem exhibet germinatio, hinc oviparorum incubationi, illìnc lactationi viviparorum non malè conferenda. Involucra etenim ſuccis emollita laxantur, diſtrahuntur, diſcinduntur; plumula ſeminis erumpit unâ cum cotyledonibus humore nutritio turgidis; in terram demerſa radicula aptiores colligit ſuccos, quibus ſatiata brevì intervallo excreſcit plantula, ut pullus in ovo deliteſcens vel infans materno dependens ab ubere.

De mechaniſmo ſeminum emiſſionem operante plurimùm ambigitur. Nec meliùs innoteſcit cauſa fœtûs exitum determinans. Hinc & illinc dehiſcit uterus, ſcinduntur involucra, placenta ſolvitur. Requiſita autem in utroque ad partum continui ſolutio vel à ſuccorum defectu, vel à nimio eorumdem affluxu poteſt repeti. Cauſæ enim diſſimiles & contrariæ eumdem non raro producunt effectum. An à ſuccorum defectu? Renovatur quotannis quarumdam arborum cortex. Deciduis arborum foliis juniora, vere novo ſuccedunt; labuntur flores peractâ fœcundatione. Quæ ſolutiones à fluidi penuriâ certè oriundæ veram primo intuitu videntur aſſignare cauſam lapſûs aut dehiſcentiæ fructuum & ſeminum emiſſionis. In vegetioribus inſuper arboribus, aut arborum ramis fructus tenax vi avellitur, dùm ex arbore aut ramo languidiori citiùs & ſponte decidit. Sic gravidæ mulieres, dum debîles ſunt citiori,

dum vigent tardiori partu liberantur; fortè quia ſerior in his, in illis promtior eſt continui ſolutio pro ſuccorum nutritiorum indole & copiâ. In borealibus plagis membra nimio frigore rigida tabeſcunt & disjunguntur, ob nutritionis defectum & partium diſſolutionem. Succi penuriam in internis vaſis tempore partûs innueret mammarum tumeſcentia, quæ devium recipiunt ſanguinem, niſi ex obſervatis aliundè conſtaret æqualem ferè fluidi copiam in uterum advehi. Undè potiùs à ſuccorum copiâ, quàm ab eorumdem defectu repetenda videtur continui ſolutio. Fluida enim vaſis devecta, ſi dato obice, aut pleniori fluctu irruendo nequeant ultrà procedere, ad latera repelluntur & quem in fovendo decurſu impendebant niſum, eumdem in viciniores exerunt vaſorum parietes, quos prorogare, extendere, diſſociare conantur. Indè non tantùm ex marcidâ arbore, ſed etiam ex nimiùm ſucciferâ fructus delabitur immaturus, dùm ſublatis foliis & ideò ſufflaminatâ perſpiratione congeſtus humor diſtendit impetu velociori vaſa, quæ debilia rumpuntur, aut ſaltèm obſtruuntur; pariter in mulieribus plethoricis, niſi plurìes per geſtationem celebretur venæ ſectio, fœtus ſanguine tumens ſuffocatur. Moderata ergò ad continui perſiſtentiam requiritur fluidorum copia & actio, exceſſus aut penuria ad ſolutionem. Penuria marceſcentiam ſeparatæ partis importat; in exceſſu verò pars illa vel copioſiori fluctu obruta fatiſcit vel jam probè ſaturata omnem advenienti fluido præcludit aditum.

Talis in maturo vegetantium ſemine, in perfectiori animantium fœtu habetur ſaturatio, quâ repulſus ſuccus vel in alia divertitur loca, vel agit in ſolida & rupturam molitur. Non ſola tamen ſolvendo partium nexui ſufficit fluidorum quantitas; multùm etiam confert peculiaris organorum ſtructura. Non intima eſt uteri cum fœtu, pericarpii cum ſemine unio, nec continuo vaſorum tramite fluida ex altero in alterum devehuntur. Textus cellularis inter placentam & uterum medius in viviparis ſtillantem hinc & indè lympham recipit ultra progreſſuram ſuccione papillarum alterutrius organi. Compar in plantis inter placentam & ſemen, in fructibus baccatis inter pediculum & baccam exiſtentia textûs mediantis conjicitur; ut enim ſanguis ex utero ad placentam fluere & viciſſim refluere nequit, ſic injectiones in pediculo detentæ fructum non ſubeunt. In id connexionis punctum, utpotè debilius & facilè ſuperandum fluida irruunt à fœtu vel ſemine excluſa, textum irrorant, gluten, partium vinculum diſſolvunt & ſic partum operantur. Cui favent etiam ſeparationi hinc uteri irritabilitas, matris & fœtûs conamina, illinc elaſticitas pericarpii in oxalide, Balſaminâ & elaterio magìs conſpicua. Humana placenta fœtui adjuncta cum ipſo eliminatur, non autem placenta vegetalis, quæ pars eſt pericarpii. Sufficiant hæc de partûs mechaniſmo.

Quomodò autem certò definietur tempus ſaturationis ſuccorum excluſionem ſtatuentis? Cur inter conceptum & partum, inter florationem & frugum maturitatem, idem repetitis vicibus perſeverat temporis ſpatium? Cur fœtus ſtatum adeptus volumen nequit ulteriùs increſcere, niſi in lucem emiſſus aerem pulmonibus exceperit? Cur eodem ſemen germinans aeris uſu indiget? Patent effectus naturæ ſimiles in utroque regno, ſed cauſas in intimo receſſu natura poſuit quaſi nos ab earum indagatione deterrere voluiſſet. Quas tamen ſi ex effectuum conſenſu pariter conſimiles licet concludere, ab ulteriori inquiſitione nunc erit abſtinendum.

V.

ANTECEDENTES partum in animanti & vegetanti functiones ex dictis meritò simul conferuntur. A sexûum enim concursu fit conceptus, à succorum appulsu & intestino motu occulta sub involucris fœtûum evolutio. Sed partûum relationes quibusdam infirmari possunt argumentis. Inter Physicos plurimi puerperium omninò pendere autumant ab innatâ uteri irritabilitate, quæ majori fovetur organi explicatione, intenditur agitatione fœtûs. Irritatio constrictionem producit; pressus undique foràs propellitur fœtus; ipso agente, repellente utero placenta avellitur; soluto nexu fluunt ex hiantibus vasis lochiæ & uterus expulsis obstaculis restituitur. Jàm, inquient, nulla in plantis irritabilitas nec constrictio, nec germinis actio, nec lochiorum fluxus, nec pericarpii restitutio. Quibus ex parte assentimur; sed irritabilitati respondet elasticitas. Utraque in nimiùm pinguibus & succulentis partibus minor est, in siccioribus intensior; hæc seminis emissionem, illa puerperium adjuvat, non tamen unicè. Si crescat enim irritabilitas in ratione distensionis uteri, major erit in utero geminâ prole fœto, intensior duplici fœtûum actione citiùs constrictionem pariet, ideòque partum & placentæ solutionem; quod experientiæ adversatur. Prætereà non citiori liberantur partu prægnantes utero valdè irritabili instructæ, non tardiori quibus uterus hebetior obtigit. Immediatæ actioni fœtûs in placentam obstat productio funiculi umbilicalis & partium dispositio. Quinetiam si avelleretur placenta, succederent hæmorrhagiæ, dolor intolerabilis, inflammatio. Nullæ in plantis lochiæ, quia succi placidè decurrunt, non conspicuo motu, non pleno flumine. Denegantur etiàm lochiæ plurimis animantium generibus; eæ si quidèm fluunt in viviparis, quia coarctatus sanguinem in vasis residuum uterus elicit. Non itèm restituitur pericarpium emisso semine; sed mòx aut etiam anteà decidit unâ cum ramo fructifero, aut separatum ab eodem ramo persistente nùnc siccatum, nùnc succis turgidum, qui refluere ad pediculum nescii siccationem ipsius præpedire nequeunt. Deciduum nullis in animantibus uterum novimus; quædam tamen, ut sepia, raïa & alii pisces singulo partu ovarium emittunt, id est, ovòrum racemum seminifero plantarum receptaculo analogum, pariterque deciduum. Non igitur indè partûum consensus infringitur. Alii partium solutionem in puerperio repetendam esse judicant à periodicâ menstrui sanguinis impulsione, qui placentæ nexum singulis concutit vicibus nonâque demùm invasione divellit; si septimâ, septimestres, si octavâ, octimestres producit partus. Si nonâ solvendo nexui impar fuerit, puerperium integro retardatur mense & decimo tantùm impulsu absolvitur. Indè serior ocyorve partus. Fatemur quidem sanguinem menstruum prodesse, quòd ab eo fluidorum moles increscat; non tamen solus puerperium determinat. Plurimæ enim mulieres pariunt diebus non periodicis; pleræque insuper quadrupedum fœminæ menses non patiuntur & tamen stato tempore fœtum emittunt. Altera igitur quærenda est partûum causa, quæ in mulieribus cæterisque animantium speciebus eadem, non dispar est in plantis, maturitas nempè fœtûum, succorum nutritiorum exclusio, solutio partium ab excessu fluidi irruentis in solida.

Abſit tamen talem exiſtimemus animantis & vegetantis generandi modum, ut inter utrumque nihil omninò ſit diſcriminis. Organa enim plantarum ſexualia ſingulo decidunt partu in ſubſequentem generationem renovanda, dùm animantium organa perſtant; labitur pericarpium marceſcens, uterus autem ſubſiſtit & reſtituitur. Sic etiam in plantis decidunt organa perſpirationi dicata; in animantibus pleriſque non decidunt. Conſimilis tamen eſt his & illis perſpiratio. Levis igitur eſt, quæ à partium perſiſtentiâ aut prolapſu oritur differentia. Aliundè cùm ex ſuprà memoratis vera pateat in enarratis functionibus analogia, non immeritò concludendum ducimus.

Ergò ſimilis eſt vegetantium & animantium generandi modus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Hugo GAUTHIER, Conſiliarius Regis Medicus.

M. Ludovicus-Gilbertus BOYROT DE JONCHERES.

M. Carolus SALLIN.

M. Simon VACHER, Regis exercituûm in Inſulâ Corſicâ Medicus Primarius.

M. Coſma-Auguſtinus LÉZURIER.

M. Nicolaus JEANROY, Bibliothecæ Facultatis Præfectus, Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius.

M. Carolus-Ludovicus LIGER, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in urbe & Comitatu Altiſſiodorenſi.

M. Joannes-Stephanus GUETTARD, Regiarum Academiarum Pariſienſis, Rupellenſis, Florentinæ & Stokolmienſis Socius, Cenſor Regius & Hiſtoriæ naturalis Muſæi sereniſſimi Ducis Aurelianenſium Cuſtos.

M. Natalis Maria DE GEVIGLAND, Regiorum in Germaniâ Ducum & Militum Noſocomiorum nuper Medicus.

Proponebat Pariſiis HENRICUS-ALEXANDER TESSIER, Carnutenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Autor.
A. R. S. H. 1775. à ſextâ ad meridiem

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi.